



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Sectio I. De Causâ materiali.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

etalis quod sufficiens, etiam in actu secundo, & potens nullo maiori adhibito conatu effectum conservare sine consortio alterius.

123 Sed rogabis, casu quo dentur illæ duæ actiones, an futuræ sint supernaturales in substantiâ. Affirmant nonnulli recentiores, sed valde inconsequenter. Nam vel ex his supernaturalibus una potest esse sine aliâ, vel non. Si non, ergo non sunt totales, quia neutra sola potest effectum conservare, & ut sic destruit casus questionis. Si verò una potest esse sine aliâ, iam facio argumentum: Sicut Deus potest duas eas actiones inter se disparatas & independentes, licet supernaturales, simul ponere, cur non etiam poterit simul ponere duas quæ in substantiâ sint naturales? Respondet ergo, eas posse esse in substantiâ naturales, miraculum autem futurum in modo, id est, in coexistentia utriusque, eò quod, cum natura peccet ne altera esset, Deus tamen vult illam dare perinde ac si vni materiæ duas daret naturales formas substantiales, vel vni corpori duas naturales vibrationes; tunc enim daretur illi res quidem naturalis, sed quæ hic & nunc non deberet dari, quæ doctrina per se est satis clara.

SECTIO XI.

Diuisio Causarum.

124 **E**xplicavimus huc usque Causam in communi, oportet iam eam in suas species diuidere: & quia de illis in particulari sequentibus Disputationibus agendum est, in hac Sectione præcisè enumerabo eas species, de quibus postea acturi sumus.

Primo diuiditur Causa in *formalem*, *materialem*, *efficientem*, & *finalem*. Secundò diuiditur in *primam* & *secundam*; illa est Deus, hæc creaturæ. Tertiò in *mediatam* seu remotam, & in *proximam* seu immediatam; hæc attingit effectum ratione sui, illa ratione alterius rei à se productæ. Quartò in *totalem* & *partialem*; hæc producit effectum simul cum aliâ, illa verò se solâ. Quintò in *materialem* & *physicam*; hæc est quæ verè & realiter producit effectum, illa quæ solum consulendo, impetrando, imperando, &c. Sextò in *instrumentalem* & *principalem*, quæ vltima membra hæc non possunt commodè explicari, sed infra, ubi de eis singulariter agendum erit.

DISPUTATIO OCTAVA.

De Causâ materiali, formali, finali, & exemplari.

SECTIO I.

De Causâ materiali.

1 **N**OMINE causæ materialis comprehendendo omne subiectum in se sustentans formam aliquam, vel accidentalem, vel substantialem, vel modalem. Hæc causa definitur esse id ex quo aliquid fit ita ut insit, ita Aristoteles in præsentī cap. 3. textu 28. Per *id ex quo aliquid fit*, excluduntur causæ efficientes: neque enim dicitur ex efficientibus, sed ab efficientibus produci effectum. Per *id ita ut insit*, excluditur terminus à quo: licet enim ignis dicatur fieri ex ligno, lignum tamen non inest igni, ideoque non est causa materialis ignis. Aliter tradi solet hæc definitio, scilicet causa materialis est ea, quæ in composito recipit aliam partem. Vtræque hæc definitio non videtur exacta, quia *id ita ut insit* sonat idem, ac rem causatam materialiter debere esse unitam cum formâ; & hoc non est necessarium ad rationem causæ materialis. Suprà enim ostendi, posse de potentiâ absolutâ dari causalitatem materialem sine vnione. & ob eandem rationem non videtur bona secunda, quia non est de ratione causæ materialis, constituere actu compositum. Præterea, etiam materiæ primæ respectu animæ rationalis convenit illam recipere; unde in homine una pars recipit aliam partem, & tamen non est causa materialis, quia non producit nec causat animam, vnionem autem etiam causat ipsa anima, ergo non bene definitur, causa materialis est quæ in composito recipit aliam partem.

Ob hanc secundam rationem omnino displicet

et ea secunda definitio. Prima autem rectè potest in verum sensum explicari, ita ut *id insit* non significet actualem vnionem cum ipsâ causâ materiali, sed indigentiam huius vnionis, scilicet causalitatem materialem exigere necessariò, naturaliter loquendo, vnionem sui termini cum causâ materiali, quo differt à causalitate efficienti, quæ ex conceptu suo non exigit eam vnionem cum effectu, ut patet in Deo producente efficienter creaturas, in igne producente efficienter alium ignem, cum quo tamen non vnitur, ut cum formâ. Verum est, aliquas causas efficientes etiam exigere suos terminos sibi inesse, qualia sunt omnia principia vitalia, cognoscitiua & appetitiua; id tamen non exigunt quia causæ efficientes, sed quia simul sunt causæ materiales, coincidit enim in illis hoc duplex genus causæ, materialis & efficientis.

De effectu causæ materialis nihil occurrit dicendum; ille enim est forma ipsa sustentata à subiecto, totum autem compositum non est effectus causæ materialis propriè & in rigore, ob rationem sæpè factam, quia compositum non producit sed constituitur à partibus, ideoque diximus suprà, vnionem non esse propriè causalitatem, sed rationem formalem, quæ partes per sui communicationem componunt, non tamen efficiunt totum.

In præsentī occurrit grauis difficultas circa causam materialem: videmus enim sine vilo fundamento confluxisse prædictum genus causæ, tota enim ratio, quæ à nobis stat, desumitur ex eo, quod aliquæ formæ naturaliter nequeant conservari sine subiecto. Sed hinc non probatur, illud subiectum debere causare materialiter prædictas formas: anima enim rationalis in primo instanti suæ creationis, naturaliter loquendo, non potest

potest esse extra materiam, & tamen nec in illo instanti causatur à materia; similiter actio creatura nullo modo potest esse extra suum terminum, & tamen ab illo non causatur, ergo non habemus fundamentum ullum, ad ponendum in rerum naturâ genus causæ materialis, quia non habemus fundamentum ad ponendam diuersam dependentiam in formis materialibus substantialibus respectu materiae, & in omnibus accidentalibus quàm in actione respectu sui termini; in ordine enim ad nos tam hæc non potest esse sine termino, quàm ille sine subiecto. Hanc difficultatem vix ullus tangit, sed omnes tamquam rem omnino certam supponunt, dari causalitatem materialem: verum cum hæc res non sit ex se nota, sed discursu probanda, oportet aliquam rationem, quæ eam suaderet, asserere.

Postquam rem hanc dictaueram, vidi in P. Lessio lib. 3. de Summo bono, à num. 49. hanc questionem occasione accidentium Eucharisticorum fusè satis disputatam, ubi in negantem partem absolute inclinatur, eamque defendit hæc nostra ratio, quia scilicet nulla est necessitas ponendi talem verum influxum ex parte subiecti; ostenditurque sine illo saluari posse differentiam inter generationem & creationem, quòd scilicet ea res creetur, quæ nec vt à conditione neque alio modo pendet in suo esse & conservari à subiecto, qualis est Angelus & anima rationalis; illa verò generetur, quæ à subiecto dependet, saltem à posteriori, etiam si ab eo non causetur. Hæc sententia potest amplius confirmari, quia videtur prorsus incredibile, in materiâ primâ v. g. esse virtutem causandi tot diuersas formas substantiales, tot propè infinita accidentia specie diuersa, & inter se etiam contraria; similiter, aquam habere virtutem causandi etiam calorem, & ea accidentia, quibus ipsa aqua destruitur; neque vlla res est inter creaturas omnes, quibus virtus causandi ac tanta diuersa entia concedatur, quàm materia primæ, quæ tamen aliunde ita solet floccipendi, quasi esset vilissima omnium entium. Video, communiter responderi, causalitatem materialem esse valde imperfectam, ideoque non arguere magnam virtutem in causâ materiali. Sed & video, hanc solutionem nullam prorsus esse; nam differentia causalitatis materialis ab efficienti solum assignatur in hoc, quòd efficiens causat sine mutatione sui, materialis vero eam mutationem petit. Iam autem rogo, in ordine ad continendos tot ac tam diuersos effectus, quid facit petere vel non petere vnionem cum illis: ergo si non potest probabiliter materiæ tribui virtus causandi tot effectus, non petendo seu præscindendo ab vnione cum illis, nec poterit dari virtus ad eos causandos, petendo vnionem ad illos; ergo talis virtus productiua materialiter omnino videtur fictitia & Chimerica.

Hæc, aliis propono melius consideranda; ego tamen interim dico, licet non sit adeo efficax ratio quæ hanc causalitatem materialem persua-deat, sicut nec quodam efficientem respectu creaturarum, posse tamen in primis dici, sicut non est impossibile, concedere materiæ primæ virtutem recipiendi tot formas, ita nec esse impossibile, dicere eas ab ipsâ materialiter causari, & imperfecto modo. Quia, licet causalitas materialis vt

sic, non dicat eum imperfectum modum quem alij sibi fingunt, tamen non illum excludit; materiæ autem tribuitur quidem aliqua causalitas, sed valde exigua: quo pacto, si experientia quid simile in aliis ostenderet, non esset durum, etiam ad causandum efficienter alicui tam amplam virtutem tribuere, quo responderetur obiectioni in contrarium à me factæ.

Secundò, non potest negari, melius & rationi conformius saluari generationem per causalitatem veram à subiecto, quàm per solam dependentiam vt à conditione. Quod sic amplius vigeo. Ponamus, distingui potentias in Angelo, Angelus crearetur, potentia verò non, sed generarentur: at tam Angelus non posset conservari sine potentia, quàm hæc sine Angelo, cur ergo magis substantia Angeli creatur, quàm potentia, si neutra educitur ab alterâ, & vtrique pendet à posteriori ab alterâ: clarius ergo id explicatur per productionem materialem.

Tertiò satis probabiliter ea causalitas à simili colligitur. Sicut enim, quia videmus in Angelo, v. g. in ligno, ad præsentiam alterius ignis produci ignem, colligimus, illum ignem, ad cuius præsentiam alter producit, non se habere vt meram conditionem, sed vt veram causam alterius ignis: ita similiter, quia aliunde probatur, accidentia pendere à subiecto, colligimus, pendere ab illo non vt à conditione, sed vt à causâ intrinsecâ. Quòd si eam causalitatem non colligimus respectu animi rationalis, & respectu actionis creaturæ, id oritur ex speciali repugnantia, quam hic agnoscimus, quæ non relucet in aliis causalitatibus materialibus. In animâ enim rationali, quia cum sit creata, non potest dependere ab vllò subiecto materiali: in actione autem creaturæ, quia si produceretur materialiter à suo termino, daretur mutua causalitas, quam repugnare supra ostendimus. Et sicut, licet eodem modo videamus ad præsentiam ignis alium ignem produci, sicut producit ex repercussione fulcis, quia tamen apparet specialis repugnantia in eo quòd silex sit causa ignis, quæ non apparet in igne, ideo dicimus, fulcricum percussum se habere vt conditionem, ignem autem vt causam veram alterius ignis; ita etiam debemus dicere, materiam respectu animæ rationalis, & terminum respectu actionis quæ producit, propter repugnantiam in eis repertam, non esse causas materiales; reliqua verò subiecta, quia non dicunt eam repugnantiam, non esse solum conditiones, sed etiam causas materiales respectu formarum. Quare in omnibus subiectis, in quibus aliqua specialis repugnantia in causatione forme non apparuerit, concedenda est eiusmodi causalitas materialis.

Iste discursus satis videtur probabilis: sed posset fortè aliquis assignare disparitatem inter causam efficientem & materialem, dicereque, rectè inferri, ignem, ad cuius aduentum alter in stupâ v. g. producit, esse causam efficientem, eò quòd res creata debet habere causam efficientem, & commodissime hoc tribuitur igni equali in virtute & perfectione; quia tamen non est vlla ratio naturalis, neque experientia probans, causalitatem materialem esse in aliquibus ponendam, non licet inferre, ex eo quòd accidens pendet à subiecto, illud produci ab ipso subiecto materialiter.

De Causa materiali, formali, finali, & exemplari. SECTIO II. 347

materialiter, sufficit enim, si ab eo pendeat, sed sine causalitate, ut supra dictum est.

9 Rogabis, Vtrum Deus possit supplere munus causae materialis, id est, vtrum possit sustentare materialiter aliquam formam. Causa materialis dat esse formae, quod quidem recte potest à Deo praestari, & de facto praestatur respectu accidentium Eucharistiae. Praeterea, causa materialis perficitur & mutatur per suum terminum, & hoc non potest Deus exercere, qui est incapax omnis novae perfectionis, & omnis mutationis: quare absolute & simpliciter non potest Deus exercere munus causae materialis, secundum totum, quod dicit causa materialis, nisi forte facias questionem de nomine, dando aliam significationem causae materiali.

SECTIO II.

De Causalitate materiae.

MATERIAM primam causare formam, supponimus ex Sectione praecedenti: in hac inquirimus, vtrum eam actu causare, sit aliquid distinctum ab ipsa & à formâ causatâ, & quid illud.

10 PRIMA CONCLUSIO. Causalitas materiae est distincta ab ipsâ materiâ, & à formâ causatâ, quando forma non pendet essentialiter à materiâ. Hæc probatur eisdem rationibus, quibus Disputatione IV. Sectione I. ostendimus distinctionem unionis ab utroque extremo, quia potest materia & forma existere in rerum naturâ saltem de potentia absolutâ, quin forma causetur à materiâ: ergo hoc, quod est de facto causari, aliud est ab utraque entitate materiae & formae. Dixi, quando forma non pendet essentialiter à materiâ: quia, sicut supra diximus in simili de unione, licet materia & forma uniatur unione distinctâ, ipsam tamen unionem, quia essentialiter perit uniri cum materiâ, non uniri unione distinctâ, sed per se ipsam; ita etiam non dico, ipsam causalitatem, quâ materia causat formam, non causari per aliam causalitatem distinctam, alioquin daretur processus in infinitum, sed per se ipsam, quod intelligendum est de quacunque formâ, quæ ut talis dependeat essentialiter à materiâ aut subiecto. Quæ dixi de materiâ in ordine ad formam, intelligenda sunt de quocunque subiecto sustentante quamlibet formam.

11 SECUNDA CONCLUSIO. Causalitas materiae in compositum, quæ iuxta dicta supra non est proprie causalitas, eo quod nihil proprie producit, sed tantum componit; hæc, inquam, causalitas, qualiscunque sit, consistit formaliter in unione: probaturque manifestè ex dictis, quia per unionem formaliter constituitur compositum.

TERTIA CONCLUSIO. Causalitas materiae in unionem, est distincta ab ipsâ unione & à materiâ. Hanc probant nonnulli recentiores, quia nihil potest esse causalitas in se ipsum, ergo unio distinguitur à causalitate in ipsam. Sed hæc ratio nulla est; quia (ut sæpe dixi) actio quâ producit quicumque terminus, est etiam suiipsius productio; & in probabili sententiâ, actio creaturae Angeli identificatur realiter cum Angelo: actio enim distincta à termino non ideo ponitur, quia id exigat conceptus actionis ut sic, sed pro-

pter separabilitatem actionis ab effectu: unde hac cessante separabilitate, eadem res potest esse actio suiipsius, sicut & unio suiipsius, & ubicatio est ubicatio suiipsius. Melius ergo probatur sic: 12 perseverante eadem unione & materiâ, potest deficere causalitas materiae in unionem; ergo ea causalitas distinguitur à materiâ & unione. Consequentia est evidens. Antecedens probatum est Disputatione IV. à num. 74. ubi ostendi, de potentia absolutâ posse manere unionem sine eo quod causetur à materiâ. Secundo probatur, quia mutatis agentibus mutatur causalitas materialis, & tamen non mutatur unio, ergo unio non est causalitas materialis. Consequentia est certa. Maior constabit ex Conclusionem, quâ probabo, causalitatem materialem & efficientem esse idem realiter. Minor autem probatur, quia non est distinctus ignis in secundo instanti, ab eo qui est in priori, ergo non habet in secundo instanti distinctam unionem ab eâ quam habuit in primo, cum tamen in secundo habeat diversam actionem, conservatur enim à solo Deo; in priori autem instanti, quo productus est, à Deo simul & ab alio igne causabatur. Suppono enim, quando forma ignis ab alio igne producit, etiam produci unionem substantialem illius cum materiâ, aliâs nullum esset argumentum: nam agens non intendit formam ignis in abstracto, sed primariò & per se in subiecto ut producat ignem.

13 QUARTA CONCLUSIO. Causalitas, quâ materia causat unionem, non est eadem cum eâ quâ causat formam. Probatur ex dictis supra de Unione, ubi ostendi, eam subiectari in utroque extremo, & vtrumque esse causam materialem illius; ergo vtrumque extremum intelligitur præexistens ad unionem, & vtrumque recipit in se causalitatem in illam unionem: sed forma non præintelligitur ante suam causalitatem, neque est causa materialis illius (alioquin esset causa sui ipsius) ergo causalitas in unionem alia est à causalitate in formam, una enim oritur à solâ materiâ, & in eâ solâ recipitur, altera à materiâ & formâ procedit, & in utraque subiectatur.

14 QUINTA CONCLUSIO. Causalitas materiae in formam, etiam transacto primo instanti generationis, non est unio. Patet ex supra dictis: quia unio subiectatur in formam, causalitas autem, quâ formam etiam in secundo instanti producit, nequit in ipsâ formâ subiectari, alioquin in secundo instanti se causaret formam, quod repugnat; ergo unio non est causalitas materiae in formam, nec in fieri nec in facto esse. Confirmo: unio materiae & formae est eadem in secundo quâ in primo instanti, aliâs non esset idem equus aut ignis in primo & in secundo instanti, mutaretur enim essentialiter unio, quæ est de essentiâ illius: sed ea unio in primo instanti non fuit causalitas, ergo neque erit in secundo. Patet evidenter consequentia, quia esse causalitatem, est prædicatum essentialiter, quod convenit rei per se ipsam, nec potest iam in hoc instanti esse causalitas, postea verò non.

SECTIO